

»facilius et suavius possint illum exercere, hoc enim totum illi »statui non repugnat.»

Posse pro aliis abunde patet ex communi sensu fidelium, et confirmatur a Suario (loc. cit.) ita: Illae animae sunt charae Deo ab illo affiguntur non ut ab inimico sed ut a parente optimo, qui beatas efficere cupit et ideo purgat. Ergo non repugnat illi statui, ut a Deo aliquid petant pro fratribus et amicis et benefactoribus suis. Nos viatores poenarum rei pro aliis recte oramus. Ergo reatus poenae, qui durat in illis animabus, non reddit illas indignas vel improporionatas ad orandum pro aliis. Sententia tamen contraria quam affirmat D. Thomas 2, 2.^a, q. 83, ar. 11, ad 3 non est contemnenda.

THESIS VI.

Damnatorum animae in inferno gravissimis poenis damni et sensus pro delictorum inaequalitate inaequaliter torquentur.

31. Nota. Uti jam constat ex dictis in thesi III nomine inferni non intelligimus tantum statum damnationis daemonum et hominum in lethali decedentium, sed etiam locum corporeum eorum punitioni a Deo destinatum. Definitur a catechismo Tridentino (1): «Est enim teterrimus obscurissimus carcer, ubi perpetuo »et inextinguibili igne damnatorum animae simul cum immundis »spiritibus torquentur; qui etiam gehenna, abyssus, et propria »significatione Infernus vocatur.» Hic locus dicitur etiam *Gehenna*, quia gehenna vocabatur quaedam prope Jerusalem vallis ubi iudaei idololatrae per ignem filios idolo Moloch immolabant. Josias rex pius, ut locum pollueret, illuc cadavera, stercora aliaque hujusmodi projecit, quo factum fuit, ut ignis ad cadavera concremanda continue ibi inveniretur. Inde ex horrore loci consuevit locus tormentorum pro damnatis gehenna vocari, quod tempore D. N. Jesuchristi commune erat. Thesis sumpta communiter et generatim est de fide, contra antiquos haereticos, aliquos protestantes, et recentioris aetatis deistas et incredulos infernum et ipsum consequentia negantes.

32. I.^a Pars. Prob. 1.^o Concil. Florentinum (2) post Lugdunense II, supra n. 15: «Illorum autem animas, qui in actuali »mortali peccato vel solo originali decedunt, mox in infernum »descendere poenis tamen disparibus puniendas.» Symbol. Athanasianum de fide catholica esse testatur: «Et reddituri »sunt (homines) de factis propriis rationem. Et qui bona egerunt »ibunt in vitam aeternam, qui vero mala in ignem aeternum.»

2.^o S. Matthaeus (3) docet sententiam in malos ferendam

(1) P. 1, De art. Symbol. ar. V, n. 3.—(2) In decret. unionis.—(3) XXV, 41.

esse: *Discedite a me maledicti in ignem aeternum.* Paulus obtestatur (1): *An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare: neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri... regnum Dei possidebunt.* Sed privatio possessionis regni Dei, et ignis aeternus ad poenas tum damni tum sensus spectant. Ergo...

3.^o S. Chrysostomus (2): «Intolerabilis quidem res est »gehenna, quis nesciat? et supplicium illud horribile. Tamen si »quis mille ponat gehennas, nihil tale dicturus est quale est ex »beata illa gloria excidere, Christum exosum esse, et audire ab illo »non novi vos.» S. Cyrillus Alex. (3): «Justi in sanctificatione, »peccatores in incendio, justi in sanctorum statione, peccatores in »continuo exilio, justi in paradiso, peccatores in igne vivacissimo »et inextincto; justi sine ulla intermissione faciem Dei intuentur, »peccatoribus vultus diaboli semper adversus.» De poena sensus S. Chrysostomus (4): «Pone, si ita lubet, ignem et ferrum et »belluas, ac si quid his acerbius est; haec tamen pro tormentis illis »ne umbrae quidem sunt... An non hos lictores conspicias, qui prae- »fectis administram operam navant, quomodo trahant, quomodo »vinciant, quomodo flagris afficiant, quomodo latera perfodiant, »quomodo faces in tormentis admoveant, quomodo secent? Atqui »haec cuncta mere ludus ac risus sunt, si cum illis suppliciis com- »parentur.»

4.^o Ratione. a) Cum D. Thoma (5): «Poena proportionatur »culpa, et ideo peccato actuali mortali, in quo invenitur aversio »ab incommutabili bono et conversio ad commutabile bonum, de- »betur et poena damni, scil. carentia visionis divinae respondens »aversioni; et poena sensus respondens conversioni,» convenit enim, ut qui voluntarie Deum dereliquit, ejus amicitia et conspectu involuntarie privetur in aeternum, qui bonis mutabilibus nimis adhaesit, ex his quoque poenam suscipiat, juxta illud Apocalypsis (6): *Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum.*

b) Homo, qui in peccato mortali decessit, non tantum quoad animam, sed quoad compositum post ultimum judicium puniri debet, quemadmodum et in coelo glorificabitur. Sed hujusmodi punitione non tantum poenam damni sed etiam poenam sensus involvit. Ergo.

c) Homo per sensus etiam peccavit. Ergo convenit ut sensibili etiam supplicio afficiatur.

(1) I Cor. VI, 9, 10.—(2) Homil. 23 in Matth. n. 8.—(3) Or. de exitu animae.—(4) In II Cor. Homil. 9, n. 4.—(5) De malo, Q. 5, a. 2.—(6) XVIII, 7.

5.º Ex consensu generis humani quod semper credidit impios in altera vita puniri. Hujusmodi consensus est: a) universalis; b) inde a remotissima antiquitate; c) de re minime grata, imo perversis hominibus perinvisa; d) de doctrina pro universo hominum genere summi momenti; e) quae eos tantum adversarios habet, qui vitiis sunt irretiti; f) hic consensus non aliam potest habere causam quam vel primitivam aliquam revelationem, vel mentis humanae vocem, quae sicut natura promulgat legem, ita futuram post hanc vitam ipsius sanctionem revelat (1).

6.º Ex divina Providentia: a) Sapientis legislatoris, ac perfecti rectoris alicujus societatis est poenas convenientes subditis illis inferre, qui suas transgrediuntur leges. Sed Deus sapientissimus legislator est et humanae societatis gubernator. Ergo convenientibus suppliciis punire debet ipsius legum transgressores. Sed dum sunt in hac vita saepissime non puniuntur. Ergo necessum est ut hujus punitio inflicto in alteram vitam deferatur.

b) Deus ut sanctitas summa, nequit indifferenter se habere, in virtutem vel vitium; ut justitia infinita, in aequitatem vel injustitiam; ut summa majestas, ad honorem vel injuriam. Sed ad haec omnia indifferenter se haberet, si peccatores impenitentes convenientibus post mortem non afficeret poenis. Ergo... Hoc argumento jam usi sunt Tertullianus adversus Marcionem. (2): «Malo parcere Deum, indignius est quam animadvertere, et quidem Deo optimo, qui non alias plene bonus sit, nisi mali aemulus, ut boni amorem odio mali exerceat, et boni tutelam expugnatione mali impleat.» S. Chrysostomus (3): «Justus est Deus omnes fatemur, et graeci et judaei et haeretici et christiani. At hinc multi qui peccaverunt abierunt impune; multi qui cum virtute vixerant, tum demum abierunt cum sexcentas habuissent calamitates. Ergo si justus Deus, ubinam his quidem praemia, illis vero supplicia tribuet, si non est gehenna, si non est resurrectio (4)?»

33. II.ª Pars. Prob. 1.º Ut in primo primae partis.

2.º Apostolus (5) de Deo ait: *Reddet unicuique secundum opera ejus*. In Apocalypsi jubet (6): *Reddite illi* (Babyloni quae significat pravorum hominum congregationem) *sicut et ipsa reddidit vobis; et duplicate duplicia secundum opera ejus*. Christus D. testatus est (7): *Amen dico vobis, tolerabilius erit terrae Sodomorum et Gomorraehorum in die judicii, quam illi civitati*. Vide etiam Sap. VI, 6; Luc. XII, 47, etc.

3.º S. Gregorius M. (8): «Sicut in hoc mundo sub uno

(1) Hurter. Theol. dogm. comp. Vol. III, n. 795.—(2) L. I, c. 26.—(3) Homil. 6, in Philipp.—(4) V. Hurter. (l. c.) n. 794.—(5) Rom. II, 6.—(6) XVIII, 6.—(7) Matthae. X, 15.—(8) Dial. IV, 43.

»sole multi existunt, nec tamen ejusdem solis ardorem aequaliter »sentiant, quia alius plus aestuat atque alius minus: ita illic in »uno igne non unus est modus incendii; quia quod hic diversitas »corporum, hoc illic agit diversitas meritorum.» S. Augustinus (1): «Dubitandum non est ipsas poenas quibus cruciabantur, »qui regnum Dei non possidebunt, pro diversitate criminum esse »diversas, et alias aliis acriores.»

4.º Ratione: a) Deus est justus iudex. Sed ad justum iudicem pertinet poenas decernere quae delictorum gravitati respondeant. Ergo... b) Beati diversis praemiis juxta meritorum diversitatem donantur. Ergo etiam reprobi, etc. (2).

34. Obj. Quomodo datur inaequalitas in poena damni?

Resp. Cum Suario (3): Si in poena damni solum consideretur privatio physica gloriae, non est dubium quod sit in omnibus damnatis aequalis intensive, eo modo quo intensio in privatione inveniri potest: quia in omnibus est privatio totalis, quae formaliter et in se non potest admittere magis et minus, quia totam formam excludit. Nihilominus tamen si sub poena damni tristitia includatur quam damnatis infert, sine dubio non est aequalis poena damni etiam intensive in omnibus damnatis, seu daemonibus, seu hominibus, quia majorem tristitiam de carentia gloriae percipiet, qui propter plura peccata damnatus est, nam hoc saltem postulat justitia Dei.

Declaratur in hunc modum, quia licet privatio gloriae sit in se quodammodo infinita, quatenus gloria posset esse major, et major in infinitum, nihilominus non tota illa privatio apprehenditur a damnato, ut poena suae culpae, quia non apprehendit totam illam gloriam fuisse sibi possibilem in omni gradu, nec in alio fortasse determinato valde magno: ergo possunt damnati apprehendere gloriam ut a se amissam in gradibus distinctis et inaequalibus, atque ita illa privatio in ratione poenae damni poterit in eis esse inaequalis. Nec talis apprehensio erit conficta, sed cum fundamento in operibus eorum et sufficienti ordinatione ex parte Dei. Ut v. g. in Lucifero intelligere possumus majorem poenam damni quam in caeteris, qui cognoscit se privatum majore gloria. Idemque cum proportionem in aliis malis angelis et damnatis considerari potest.

(1) Contr. donatist. L. 4, c. 19.—(2) V. Suar. De Angelis, L. 8, c. 5; D. Thom. Suppl. Q. 97, a. 5, ad 3.—(3) De Ang. L. 8, c. 6, nn. 7-9.

SCHOLION.

De aliis damnatorum poenis.

35. Damni et sensus poenis multiplices aliae comprehenduntur juxta Scripturam et SS. Patres. Praecipuas explicat D. Thomas (1) et sunt:

1.^a Vermis, *qui non moritur* (2). Pius Lessius (3) dicit consistere in duabus cogitationibus, quae assidue menti tamquam vermes inhaerebunt, eamque affligent. Prima, quod sua culpa privati sint aeternis et maximis bonis, quae facili negotio consequi poterant. Secunda quod sint addicti aeternis tormentis, quae facile poterant evadere. Hae cogitationes et hi dolores sunt vermes acerbissimi, quorum morsus i. e. tristitia inde nascens est praecipuum damnatorum tormentum. Exacuat et animat hos vermes justitia divina faciendo ut mens eorum haec omnia assidue et acriter apprehendat et cogitet ac in primis horum omnium aeternitatem, nempe haec damna et haec supplicia fore aeterna et nullis unquam saeculis finienda. Ita juxta communioem sententiam, quae vermem esse spiritualem tenet cum S. Augustino (4): «In poenis malorum inextinguibilis ignis et vivacissimus vermis ab aliis atque aliis aliter atque aliter exponitur. Alii utrumque ad corpus, alii utrumque ad animam retulerunt; alii proprie ad corpus ignem, tropice ad animam vermem; quod credibilius esse videtur.»

2.^a Fletus ad modum quo explicatur a D. Thoma (5) non per lachrymas, «quia post diem judicii, quiescente motu primi mobilis, non erit aliqua generatio, vel corruptio, vel corporalis alteratio: in lacrymarum resolutione oportet esse illius humoris generationem, qui per lacrymas distillat:» sed quia: «aliud quod invenitur in corporali fletu est quaedam commotio et turbatio capitis et oculorum, et quantum ad hoc fletus in damnatis esse poterit post resurrectionem, corpora enim damnatorum non solum ab exteriori affligentur, sed etiam ab interiori secundum quod corpus immutatur ad passionem animae in bonum vel malum. Et quantum ad hoc fletus carnis resurrectionem indicat et respondet delectationi culpae, quae fuit in anima et in corpore.»

Etiam fames, sitis et varii pro variis sensibus cruciatus, ut breviter expressit D. Bernardus (6): «Locus letifer in quo est ignis ardens, frigus rigens, vermis immortalis, foetor intolerabilis.»

3.^a Tenebrae. Sic colligitur ex S. Matthaeo (7): *Ligatis manibus et pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores;* super quae dicit S. Gregorius (8): «Si ignis ille lucem haberet, in tenebras exteriores nequaquam mitti diceretur.»

(1) Suppl. Q. 97 (al. 100). — (2) Isai. LXI, 24; Mar. IX, 43; D. Thom. (1. c. a. 2). — (3) De divin. perfect. L. 13, c. 29. — (4) De civit. L. 20, c. 22. — (5) Suppl. Q. 100 (al. 97), a. 3. — (6) Serm. de divers. 42, n. 6. — (7) XXII, 13. — (8) L. IX. Moral. § 97.

Modus explicatur ab Angelico (1): «Per accidens contingit visionem esse afflictivam, in quantum videmus aliqua nobis nociva, vel nostrae voluntati repugnantia. Et ideo in inferno hoc modo debet esse locus dispositus ad videndum secundam lucem et tenebras, ut nihil ibi perspicue videatur, sed solummodo sub quadam umbrositate videantur ea, quae afflictionem cordi ingerere possunt. Unde simpliciter locus est tenebrosus. Sed tamen ex divina dispositione est ibi aliquid luminis quantum sufficit ad videndum illa, quae animam torquere possunt: et ad hoc satisfacit naturalis situs loci: quia in terrae medio, ubi infernus ponitur, non potest esse ignis nisi faeculentus et turbidus, et quasi fumosus.»

4.^a Societas daemonum et damnatorum multum omnes damnatos affliget propter omnium blasphemias, desperationem, furorem, mutuas imprecationes, quibus seipsos, quod sibi tantorum malorum causa fuerint; nec non Deum, qui ipsos condidit; parentes, qui genuerunt; daemones, qui seduxerunt; socios, qui allexerunt; omnemque creaturam maledicent.

5.^a Ignis, de quo in proxima thesi.

THESIS VII.

Ignis inferni corporalis est, non metaphoricus.

36. Nota. Hanc thesim negarunt plures ex protestantibus, et unus vel alter inter catholicos, ut Cajetanus et Catharinus, est tamen juxta Suarium (2): «certa ac catholica sententia, non est tamen ullibi definita, esset nihilominus temerarium contrarium opinari.» S. Poenitentiariae Congregatio (3) interrogata respondit: non esse absolvendos sed instruendos, qui pertinaciter censeant, ignem inferni non esse realem, sed metaphoricum, ideoque autem inferni poenas dictas fuisse ignem, quod nulla aptior sit imago ad significandam atrocitatem illarum, quaecumque demum illae sint, quam ignis, qui dolorem omnium maximum producit.

Prob. 1.^o Scripturam. Apud Matthaeum (4) legimus: *Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus.* Apud Marcum (5): *In gehennam ignis inextinguibilis.* Iterum apud Matthaeum (6): *In caminum ignis.* Sed in his testimoniis vox ignis sensu proprio sumenda est. Ergo... Min. prob. Accipienda est sensu proprio nisi rei natura, vel fidei analogia, vel Patrum interpretatio, vel contextus aliud exigant. Sed aliud non exigit rei natura, quia ut postea ostendemus hoc non repugnat; non fidei analogia ut res est manifesta, non Patrum inter-

(1) Suppl. Q. 97, (al. 100), a. 4. — (2) De Angelis. L. 8, c. 12, n. 9. — (3) 30 April. 1890. — (4) XXV, 41. — (5) IX, 44. — (6) XIII, 42.

pretatio ut constabit ex secundo argumento; nec contextus, qui contrarium evincit, nam:

a) Quando aliquis ut legislator legem fert, vel ut iudex sententiam profert, sensu proprio non metaphorico loquitur. Sed vox ignis a Deo adhibetur dum legem tradit vel sententiam profert. Ergo...

b) In locis citatis ignis profertur tamquam terminus ad quem adeundum est, tamquam locus jam antea paratus, tamquam quid subsistens distinctum a spiritibus cruciandis. Sed haec de internis animi cruciatibus intelligi nequeunt. Ergo...

c) Scriptura de igne inferni loquens commemorat caminum, flammam, adustionem... Sed haec praedicata seu hae proprietates igni reali non metaphorico conveniunt. Ergo...

2.º S. Augustinus (1): «Adhaerebunt ergo... spiritus daemnonum, licet incorporei, corporeis ignibus cruciandi, non ut ignes ipsi, quibus adhaerebunt, eorum juncturâ inspirantur et animalia fiant, quae constant spiritu et corpore, sed ut dixi miris et ineffabilibus modis adhaerendo, accipientes ex ignibus poenam, non dantes ignibus vitam.» S. Gregorius M. in dialogis (2) cuidam Petro interroganti: «an ignis inferni corporeus sit?» respondet: «corporeum esse non ambigo.» Alii Patres igni inferni eas tribuunt proprietates illisque rebus comparant, ut nonnisi de corporeo igne verificari possint. Sic S. Basilius (3): «Certe multo mirabilius est ignis naturam intercidi, quam mare rubrum in partes dividi... Ignem autem qui diabolo et angelis ejus in supplicium paratus est, voce Domini intercidi reor, ut cum duae sint in igne facultates, quarum una comburit, altera illustrat, ignis quidem asperitas atque torquendi proprietas iis, qui adustione digni sunt servetur: illius vero splendor et claritas ad hilaritatem eorum, qui laetam ac beatam acturi sunt destinatur.» S. Chrysostomus (4): «Si gehennam audiens vides et incredulus es, recordare ignis illius Sodomorum. Vidimus enim vidimus et in praesenti vita gehennae imaginem.»

37. Inde arguitur: Ignem inferni esse ejusdem speciei ac hujus mundi ignis (5).

Quia sacra Scriptura corpus illud ignem frequenter et constanter appellat, verisimiliter credi debet tale esse corpus, ut univoca ratione sub appellatione ignis comprehendatur. Differt tamen ab illo in pluribus: praesens ignis extinguitur, ignis inferni in perpetuum durabit; ille rem dissolvit et consumit, hic angit, urit, rem tamen

(1) De civ. Dei. L. 21, c. 10.—(2) L. 4, cc. 28, 29.—(3) In Ps. XXVIII, n. 6.—(4) Homil. 4, in Rom. n. 3.—(5) D. Thom. Suppl. Q. 97, (al. 100) a. 6. Suarez. De angel. L. 8, c. 12, n. 18.

non destruit, ille imminui et extinguere humana arte potest, hic conatus omnes eludit, semperque eandem virtutem conservat. Audias S. Ephraemum (1): «Omnes debent fateri et credere, saeculi videlicet illius ignem hoc nostro longe esse atrociorum.» Nam ut iste maxime efficax sit, nitet tamen et splendet: ille vero, cum vehementissime ferveat et acerrime urat, horrendis tamen involvitur tenebris et noctem offert teterrimam. Iste obvium nutrimentum usque eo depascitur, donec absumpserit; si quid autem contrarium inciderit extinguitur, cessat et evanescit. Contra ille ignis numquam restinguendus, non absumit quos torquet, miseros, nec enim absumere jussus est, sed tantum urere ac torquere. Ignis iste coquit cibos et esui aptos reddit et algorem expellit. Ille suis flammis praeter tenebras etiam stridorem dentium miscet, sontes tenebrosus depascitur, depopulatur, desolat ac torquet, ut expers lucis sic etiam finis. Scriptum est enim ignem fore sempiternum.»

Ratione horum discriminum Patres aliqui ignem hunc incorporeum vocant, non ut negent ignis veritatem, sed omnimodam identitatem cum nostro.

38. Obj. 1.º Ignis in Scriptura saepe sensu metaphorico sumitur. Ergo etiam in allatis testimoniis.

Resp. Conc. antec. neg. conseq. Nam ubi de inferno agitur constat ex dictis in probationibus debere sumi proprie.

Inst. a) Cum agitur de inferno commemoratur simul *vermis* (2). Sed *vermis* debet sumi sensu metaphorico, ergo et ignis. b) Dives Epulo (3) nonnisi metaphorice postulabat refrigerationem linguae per extremum digiti Lazari intrinsectum aquâ. Ergo a pari, etc.

Resp. Ad a) Conc. Maj. trans. Min. neg. conseq. Dixi trans. min. quia non desunt catholici, qui cum aliquibus Patribus existiment damnatos corrodere veris et realibus vermibus: sic Valentia, Lugo Franciscus; et si sermo sit de corporibus damnatorum P. Suarez putat nihil obstare quominus a veris vermibus crucientur, ac proinde hoc esse probabile judicat; sed quia antea animadvertimus, vocem illam *vermis* intelligendam esse sensu metaphorico, negatur *consequentia*, quia ratio differentiae est multiplex, tum quia Christus singulariter et quasi per antonomasiam de igne dixit: *qui paratus est diabolo et angelis ejus*; et de illo est frequenter sermo in Scriptura quoties gehenna et poena sensus quasi essentialis nominatur; tum quia pro ignis veritate et proprietate est communis consensus Patrum, Theologorum et Ecclesiae, quae pro ver-

(1) Apud Hurter. Comp. theol. v. III, n. 799.—(2) Mar. IX, 45.—(3) Luc. XVI, 24.

me non datur; tum denique, quia in verme est multo magis necessaria metaphora quam in igne.

Ad b) Trans. *Min. neg. conseq.* Nam illa cum spiritibus attribuuntur ex ipsa rei natura liquet sensu proprio adhiberi non posse. Dixi trans. quia si illa narratio est parabola quaedam, quae ad damnata corpora post eorum resurrectionem referatur, ut nonnulli Patres et interpretes opinantur, tunc etiam illa verba in sensu proprio sunt explicanda.

Obj. 2.^o Plures Patres inficiantur ignem inferni esse corporeum; dicunt enim esse spiritualem, vel non esse ejusdem conditionis cum nostro igne. Sic Damascenus (1), Gregorius M. (2), Augustinus (3).

Resp. 1.^o Inficiantur esse corporeum simpliciter i. e. non habere quoad substantiam naturam corporis; neg. Secundum aliqua seu comparative, i. e. non convenire in omnibus cum igne corporeo, quem nos hic cognoscimus; conc. Ad rationem; dicunt esse spiritualem proprie i. e. non vere materiam aliquam, sed poenam tantum animae internam; neg. Spiritualem improprie i. e. vel ratione materiae, quatenus non indiget nova aliqua materiâ cujus destructione foveatur; vel quatenus est subtilissimus et incorruptibilis, vel ratione effectus, quem in spiritibus causat; conc. Sic exponitur Damascenus. Locus S. Gregorii est mendosus et legi debet corporeum. S. Augustinus illud expresse retractavit *De civit. Dei.* L. 21, c. 10.

Resp. 2.^o Licet aliqui Patres hac de re olim dubitaverint, inde caeterorum omnium consensus minime posset infirmari.

Inst. a) S. Hieronymus (4) dicit: «Vermis, qui non moritur, et ignis, qui non extinguitur a plerisque conscientia accipitur peccatorum:» et verba origenistarum sine improbatione refert. b) S. Ambrosius expresse ait (5): «Neque corporalium stridor aliquis dentium, neque ignis aliquis perpetuus flammaram corporali-um, neque vermis est corporalis.» Ergo...

Resp. Ad a) Illa dicit S. Hieronymus ut ex aliorum sententia nempe origenistarum; conc. Ut ex propria et approbans; neg.

Ad b) Aliqui censent S. Ambrosium hac in re excusandum esse; alii distinguunt negat ipsam realitatem ignis corporei; neg. Negat ignem ita damnatos torquere ut in ipsis materiales flammâs excitet, putans illos modo alio mirabiliori affigi; conc. alii tandem volunt S. Ambrosium (l. c.) de poenis inferni non agere, sed quae de inferno in Matthaeo leguntur (6), aptissima accommo-

(1) De *ortodoxa fid.* L. 4, c. ult.—(2) *Mor.* L. 15, c. 12.—(3) *Genes. ad litt.* L. 12, c. 32.—(4) In *Isai.* LXVI, 24.—(5) In *Luc.* L. 2, n. 205.—(6) XXII, 23.

datione ad poenas impiorum in hac vita transferre, qua ratione certe ignis non est corporeus (1).

Obj. 3.^o Dices cum Catharino, Durando... Ignis corporeus in spiritum agere nequit, ut ipsum torqueat. Ergo...

Resp. Naturaliter, conc. Supernaturaliter; neg.

Inst. Non sunt miracula admittenda sine ratione. Sed nulla ratio cogit admittere ignem inferni esse corporeum. Ergo...

Resp. Neg. *Min.* Contrarium enim habetur ex revelatione ut probatum est (2).

SCHOLION.

De modo quo ignis torquet spiritus.

39. Quia rest est valde difficilis, plures eam explicandi modos excogitarunt theologi; solum recensebimus tres. 1. P. Lessii (3), juxta quem ignis spiritum cruciat quatenus ita afficit animam ac si corpus esset medium, supplente hoc medium virtute divina. Hanc amplecti videntur, licet non omnes eadem ratione eam explanent, Valentia, Tannerus, Coninck, Siuri, etc., et solum quoad animas separatas Arriaga, Turrianus, etc. Confutatur in suo fundamento non admittendo in anima separata potentias sensitivas, multo minus earum actus, et ut breviter ait Suarius (4), quia non potest dari actus vitalis sine proprio et proportionato objecto. Sed in spiritibus non datur proprium et proportionatum objectum talis doloris, quod est calor inhaerens subjecto patienti dolorem, vel qualitas dolorifera ex tali calefactione resultans.

2. D. Thomae (5), qui postquam alios modos rejecerit suum tradit; «Oportet dari igni aliquam actionem in animam, quae sit ei connaturalis, ad hoc quod sit instrumentum divinae justitiae peccata vindicantis... Spiritus autem corpori unitur dupliciter: uno modo ut forma materiae, ut ex eis fiat unum simpliciter, et sic spiritus unitur corpori et vivificat corpus et a corpore aequaliter aggravatur: sic autem spiritus hominis vel daemonis igni corporeo non unitur: alio modo sicut movens mobili, vel sicut locatum loco eo modo quo incorporalia sunt in loco, et secundum hoc spiritus incorporei creati loco definiuntur, ita in uno loco existentes quod non in alio. Quamvis autem res corporea ex sua natura habeat quod spiritum incorporeum loco definiat, non tamen ex sua natura habet quod spiritum incorporeum loco definitum detineat, ut ita alligetur illi loco quod ad alia divertere non possit; cum spiritus non sit ita in loco naturaliter quod loco subdatur. Sed hoc superadditur igni corporeo in quantum instrumentum est di-

(1) Vid. Petav. *De Angel.* L. 3, c. 4.—(2) Vid. Card. Mazellam, *de Deo creante.* Propos. XLIV.—(3) *De perfect. divin.* L. 13, c. 30.—(4) *De Angel.* L. 8, c. 12, n. 30.—(5) *Suppl. Q.* 70, ars. 3.